

№. 432, 14^a

B. M. V.

B. m.



VOCIS
CLIENTIS

Disquisitio
ETYMOLOGICO-SYNONYMICO-CRITICA,
qua præmissa

V I R O

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. D. PAVLO CHRIS-
TIANO
SCHROETERO,

7^{to},

POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM ET
ELECTORIS SAXONIÆ

IN SUMMO PROVOCATIONVM JVDICIO ET SENATV ECCLESIASTICO
CONSILIARIO, VT ET IN VRBE REGIA SYNDICO,

DE SINGVLIS HISCE MVNERIBVS INSIGNITER MERENTI,
PATRONO SVO MAXIME SVSPICIENDO

CLIENTELAM HEREDITARIAM

ipso die, scil. XIV Sept. cl. lxxc. xxix.

quo

CLIENTELARIS OBSEQVII SACRAMENTVM

universi, qui

WALDAM, BAVDAM, WILDENHAYNAM, BROCKEWIZIVM, KRAVSCHVZIVM,

partemque KLEIN - THIEMIGII

incolunt,

solemni ritu dicebant,

Ex animo gratulatus observantiam suam testatur
additissimus cliens

ADAMVS GRENZIVS, Rochl. Rev. Min. Cand.

DRESDÆ, Literis JOAN. GVILIEL. HARPETERI.



Isidorus Hispal.

Omnis rei inspectio, ETYMOLOGIA
cognita, planior est.



HTsi quidem omnino diu meditari debebam, quid lectu dignum TVIS, VIR CONSULTISSIME, oculis subjicerem: tamen vel longius aliquid accessere, vel nimia mei diffidentia officium clientis prorsus negligere, & pietatis ardor vetabat, & præsens, quæ me ad scribendum impulit, occasio. Hæc enim cum quasi liberiore rerum flumine meum rigaret ingenium, istam statim, quæ se primum offerebat, de *Clientibus* materiam hausi, non adeo sollicitus, quid TVAM æquaret dignitatem, cui assequendæ me longe imparem sentio, modo scripturæ argumentum meæ conditioni responderet. In eo vero potissimum nostra versabitur exercitatio, ut, quid sonet vocabulum *clients*, & ad quod etymon sit referendum, quæ etiam hujus vocis sint synonyma paulo altius inquiremus. Quem conatum, quoniam ad ea spectat studia, quibus ab humanitate nomen est impositum, TIBI, Cui Vni has pagellas sacras esse cupio, non ingratum fore, mihi certo pollicentur & TVA insignis solidiorum literarum cognitio, & TVA apud omnes celebratissima humanitas.

Hac itaque spe fretus ad ipsam vocis *clients* consideratio- Etymolo-
nem accedo, quæ unde derivanda sit non omnes indicant Lexi- gia.

A 2

cogra-

cographi: interim tamen ab aliis non unum etymon allegatur. Antiquiorum (a) communis est consensus, quod a verbo *colere* descendat. Vossio (b) idem est, sive latinum verbum *colere*, sive græcum κλείειν pro etymo habeas: ipse tamen potius græcam originem agnoscit. Ipsa ejus verba apponam: „*Clients*, inquit, „quasi *coliens*, sive *colens*. Vel potius, *clients* factum a κλείω, h. e. „celebro, honoro. Vnde & musarum una *Clio* dicebatur. A „κλείω sit κλείων: sed ἀναλογία latina, quasi a *clio*, *clients*, maluere. „Sed, seu a *colo*, seu a *clio*, malis, causa nominis erit, quod *clients* patronos colerent ac honorarent. „

An a verbo
κλείω.

Vt vero *Clio*, græce Κλειώ, quod musæ nomen est, rectissime εἰπὼ ἵδ κλείειν derivatum esse constat: ita, si non bonum Vossium hic plane dormitasse existimare licet, quod solo verbi græci æquali sono captus *clients* vocabulum ab eodem themate facere videtur; saltem plus habet hæc etymologia difficultatis, quam quis putarit. Nec inficior, Vossium memet ipsum facile in suam sententiam trahere, nisi sola obstaret hujus vocabuli apud Plutarchum scriptio, (c) qui *clients* reddit κλεινας; quod si suam a verbo κλείω traheret originem, loco ἵδ ι, per εσ, κλείεντας, scribendum fuisset. Ex quo apparet, Plutarchum, ut suis, historiam græcam cum romana collaturus, usitatum apud Romanos nomen eorum, quos Græci sua lingua πελάτας dicebant, notum faceret, vocabulum latinum græca tantummodo terminatione atque flexione donatum retinuisse. Mutatio enim diphthongi ἵδ εσ in ι, quomodo excusari possit, ego quidem non video, nisi si huc trahatur ista fatis frequens in quibusdam verbis ἵδ εσ in ι, transformatio, ut e. g. *idea*, græce ἰδέω, descendit ab εἶδω, video, quapropter etiam primam

(a) *Isidori Hispal.* L. X. Originum sub lit. C. *Nic. Perotti* in cornucop. col. 322. *Jov. Pontani* in *Actio*, fol. 139 edit. Ald.

(b) Vid. *Etymologicon* ligu. lat. in voce *clients*.

(c) In vita Romuli.

(:)

mam apud Poëtas habet longam, æque ac in Clio, quod musam notat, quia ἀπὸ τῆς κλειῖν est, prior producitur; in voce vero *cliens* prior semper brevis est. Accedit, quod, cum in tota verbi κλειῶ conjugatione nusquam occurrat, ex *ei* profectum, non parum suspecta hæc mihi etymologia videatur: ut taceam, si ex græco participio κλειῶν *clientis* appellatio flueret, accusativum pluralem non in *ειας*, sed *οιας* desinere, ita, ut Plutarcho dicendum fuisset pro κλειῖνας κλειῖοινας.

Eadem est ratio derivationis, quæ b. Stübello, & postmodo An a *clins* Cl. Gesnero placuit, latinum verbum *clinare* pro etymo habenti- f. græco κλιῖνω. bus, (d) quare ipsis est *cliens* quasi *clinans* sive *inclinans* in alicujus tutelam: ubi tamen potius ad Græcorum κλιῖνεν istos respexisse suspicor, quia græcum deductioni magis favere videtur, si a participio κλιῖνων, extruso *ν*, fiat κλιῖων, si modo non κλειῖνας, sed κλιῖοινας apud Plutarchum legeretur.

Denique & hoc circa græcam etymologiam attendendum esse puto, quod, cum Romulo, quippe qui primus apud Latinos *clientes* constituit, neutiquam placuisset *clientum* apud Græcos conditio, ut diserte docet Dionysius, (e) vero haud sit simile, istum a Græcis nomen commodasse, quo insignirentur. Hoc enim si ipsi visum fuisset, forte novum nomen non excogitasset, nominibus jamjam vel apud Athenienses, vel apud Thessalos usitatis contentus. At vero Romanorum *clientibus*, qui liberi erant homines, nec Atheniensium nomen conveniebat, qui suos *δούλους* appellabant, i. e. mercenarios, qui pro levi sane mercede, verberibus etiam adacti, durissima servitia præstare cogebantur: nec Thessalorum denominatio se commendare poterat prudentiori- bus,

(d) Vid. Fabri Lexicon, & quidem alteram Stübello, & novissimam Gesneri edit. in voce *cliens*.

(e) Antiquit. Rom. L. II.

bus, quod *clientes* suos *πενέτας*, i. e. pauperes, vocitantes, eoque vocabulo fortunam iis exprobrantes superbum animum turpiter prodebant. More itaque Græcorum hac in re plane rejecto, quid obstat, quin concludam, Romulum prudentissimum sane regem, maxime in novo regno constituendo, ne vel speciem præberet superbix ac duritiei, qua Græci erga *clientes* suos utebantur, nec nomen ex græca lingua petiisse.

Equidem id non nego, quod quam plurimæ voces græcæ in latinum sermonem quondam transferint: hoc tamen multo post hæc tempora contigisse, constat inter omnes eruditos. Potissimum vero id factum est post D circiter annos ab V. C. tempore Livii Andronici, ubi primum ex nuda græcæ eruditionis imitatione & literæ, & lingua romana, barbarie magis magisque excussa, caput extollere cœperunt: usque dum demum ipsam Græcorum linguam Romæ etiam elegantiores mulierculæ affectarent, teste Juvenale (*f*) ingenium seculi sic notante: *Omnia græcæ, it. Concumbunt græcæ, & ibi: De Tibusco Græcula facta est.* Quam facile autem ejusmodi linguarum commercium, maxime si accedat rerum peregrinarum mira existimatio, & jactantia variarum linguarum confuso strepitu bellissime, ut putant, vestita communem gentis linguam possit interpolare, immutare, & adscitis alterius linguæ idiotismis atque vocabulis augere, ne dicam corrumpere, luculentissimo exemplo nos ipsi docemus Germani, gallici sermonis sibilo adeo fascinati, ut nec literas scribere, nec salutem dicere, nec causam orare, nec sermonem instituere queamus, quin vocabulis gallicis subinde interspersis, quamvis etiam interdum misere detortis, vel spuria pronuntiatione protrusis, intritum quasi facere, linguamque per se satis amplam, centone superinfecto, prudentiorum ludibrio exponere studeamus. Id quod
tamen

(*f*) Sat. 6. v. 186. 187. 191.

tamen non in odium ullius linguæ exoticæ, sed potius pro puritate vernaculæ dixerim. Sed in viam redeo. Licet, inquam, plurima habeat græca sermo latinus, quod adeo non carpo, quoniam non tam stolidi affectatio, quam potius Græcorum in toto orbe celebratissima eruditio græcum sermonem in Latium invenit: tamen, si ad *clientis* vocabulum respiciamus, illud longe antiquius est, ipsique jam Romulo usitatum, ut ipsa ejusdem lex docet, in XII tabulas his verbis antiquis relata: SEI PATRONOS CLIENTEI FRAVDEM FAXSIT PATRONOS CLIENTIS DEIVEIS SACER ESTOD (g).

Nunc vero ad latinam hujus vocis etymologiam deveniamus. ^{Quomodo fiat a colo.} Hic Rhodus, hic salta. Tantum quidem mihi non fumo, ut novum etymon constituere audeam, tenuem tantummodo operam in eo navaturus, ut, quomodo *cliens* fiat a *colo*, tritissimo apud omnes antiquiores etymo, paulo sollicitius inquiram. A *colo* fit *colens*. Duplex vero in voce *cliens* anomalia huic etymologiæ ob stare videtur, scilicet syncope ξo , & epenthesi ξi , quæ cum in eadem voce simul occurrant, aliquanto difficiliorem reddunt derivationem. Quantum itaque in me est, hæc etymologia qua ratione analogia juvari possit, dispiciam.

Primo quod ad syncopen ξo attinet, vulgaria quidem exempla, ubi pro *valide* dicitur *valde*, pro *audaciter* *audacter*, pro *repositus* *repostus*, huc non traham, quoniam in istis vocabulis non tam literam radicalem, quam potius accidentalem ejectionem reperimus. Singularem vero vim demonstrandi syncopen adverbio *clam* inesse puto, pro quo antiquos *calim* dixisse docet Festus (b). Vel si quis *clam* dixerit, idque meo judicio optime, quasi *celam*;
a ce-

(g) Sic hanc legem cum aliis Lipsius nobis exhibet. Conf. notas *Dionys. Gerbofr.* in *Fragm. Legum XII. Tabb.* ad *Pandect.* & *Codicis* seriem accommodatis, tit. De *extraord. criminib.* cap. 2.

(b) De verborum vet. signif. L. III.

a celo, quoniam, quæ clam fieri volumus, celatus; (i) is deprehendet eandem, ut in voce *cliens* pro *colens*, literæ radicalis ejectionem, cujus si litera l dici non potest causa, tamen sequente liquida syncopen molliorem reddi, auditu statim percipitur.

Ad epenthesin *l̄s i* convertamur, cujus vero cum rationem commodiorem reddere non possim, liceat iterum ad analogiam quorundam exemplorum confugere. Horum quidem copiam insignem producere possem, si cum Vossio (k) vocabula, quæ quidem ille a Græcis ad Romanos transiisse credit, in subsidium vocare placuisset: ex quibus tamen id apparet, quod Romanis epenthesis *l̄s i* satis frequens fuerit. Quo vero evidentior sit hæc in ipsa latina vocum motione epenthesis, exemplo nobis sit verbum *gradior* a primitivo *gradus*, *antæ* ab *ante*, *genius* a *geno*: ita etiam a *colo colens*, per epenthesin *l̄s i* *coliens*, & syncopen *l̄s o* *cliens*,

Quæ si nimis contorta cuiquam videtur etymologia, totus ego non refragor. Interim respondeo, primo hanc etymologiam niti omnium antiquiorum consensu, quamvis isti nullam addant, præter significatum, quod scilicet *clientes* patronos suos *colerent*, hujus derivationis vel mutationis epicrisin. Deinde minus hanc etymologiam habere difficultatis, quam græcam, ex supra dictis satis constabit. Tertio officium, quod erat *clientum*, scilicet patronos *colere*, exacte huic etymologiæ respondet, siquidem etiam nobis *cliens* atque *cultor* idem sonant: adderem, quod forsitan etiam ex eo *colientum* vel *clientum* nomen fluxerit, quoniam ex institutione Romuli, (facta universæ gentis divisione (l) in legiones, qui militiæ apti censebantur, in senatum, qui reipublicæ curam gereret, quo etiam patricii & reliqui potentiores, qui Pa-

tro-

(i) Vid. plura de hac voce in Vossii Etymologico.

(k) In Tr. de literarum permutatione.

(l) Vid. Plutarch in Romulo.

troni appellabantur, referendi sunt, & in populum vel plebejos, quo nomine reliqua multitudo veniebat,) hi postremi, scilicet populus, vel vulgus, vel plebs cum aliis servitiis, agros potissimum *colere* (m) tenebantur. Cui conjecturæ pondus addit Dionysius, (n) Atheniensium *ἀγροποιοί*, i. e. rusticos, vel colonos, Romanorum plebejis comparans, utpote quos fortuna tenuior potentiorum patrocinio uti, eorumque esse *clientes* cogebat; ut illorum *ἐπιτελεῖσθαι*, i. e. bonis vel illustribus familiis ortos, horum patricios fuisse vox ipsa docet. Accedit, quod Stephanus Doletus (o) significationem verbo *colere* propriam ad agros referat, *verbum colere*, inquit, *totum rusticum est*. Quo etiam spectat æque doctum ac ingeniosum Joviani Pontani (p) studium, ita scribentis: „Sermo cœpit primum noster (*latinus puta*) ab incultis, & rusticanis, immo agrestibus ab hominibus, utque eorum erant res inopes, angustæ, egenæ, sic quoque sermo ipse inops, minimeque affluens, verborumque perpaucorum, ac sine ullo profus eorum excolendorum studio & cura.„ Hoc docent innumera vocabula, in quibus metaphoram notamus, eamque, si ad fontes recurramus, a rebus plerumque vulgaribus, pastoribusque maxime obviis desumptam, licet postmodo ejusmodi voces crescentibus artibus, atque hominum rebus actionibusque, ob aliarum inopiam, ad usum sublimiorem etiam in foro doctorumque scholis emerferint. Multa in hanc rem scite enucleata Pontanus citato loco suppeditat. Cur non igitur contenderem, *clientem* proprie talem esse, qui agros *colat*, deinde per translationem, qui studio atque obsequio patronum suum *colere* vel venerari satagat.

Atque hæc circa etymon vocis *cliens* pro facultate commentari operæ pretium duxi, ubi si doctioribus non ad amussim pensita-

(m) Dionys. Antiqu. R. L. II.

(n) Cit. loc.

(o) In Commentat. lat. lingu. T. II. p. 263.

(p) In Aëio, fol. 138. ed. Ald.

fitata videbuntur omnia, cogitent, etiam in hac re tenui laborem sæpe esse arduum. Quod si enim jam tempore Varro, omnium Romanorum doctissimus, multa circa etymologiam obscuriora esse existimavit, quanto nobis erit difficilius omnia ad liquidum perducere!

Synony-
mia,

Cumque tandem sororio quasi nexu inter se cohæreant Etymologia & Synonymia, nec hic eas separare animus est, de postremo licet paucis modo dicturus. Diversa scilicet *clientes* vel diversis ætatibus, vel pro diversitate circumstantiarum officiorumve, quæ patronis præstabant, acceperè nomina.

Clientes
dicti SER-
VI.

Ante omnia vero de synonymo, meo quidem iudicio valde ambiguo, hic dispiciendum esse reor, utrum scilicet etiam *servorum* nomen *clientibus* rectè imponatur nec ne? Ego quidem, si *servum* pro *mancipio* habeas, plane nego. Hinc an distinctè satis pronuntiaverit Rosinus, (q) varia ex auctoribus loca, nominatim, Juvenale, Seneca, Suetonio, Cicerone, Martiale ita exponens, ut *clientibus* etiam nomen *servorum a pedibus, ad pedes, ante pedes, & circum pedes*, imo & *vernarum* asserat, alii judicent. Potissimum vero, locus ex Martialis lib. 12. epigr. 89.

Bis Corta soleas perdidisse se questus,

Dum negligentem ducit ad pedes vernam,

huc minus quadrare mihi videtur, quod Poëtæ sermo est non solum de *verna*, sed tali etiam, qui ob *negligentiam* vi ad officium cogendus erat, cum tamen in *clientibus* liberrimum patronis suis inserviendi esset studium, ex quo eorum longe honestior præ *vernis* emergit conditio. Contemptum vero *vernarum* genus, omnibusque obnoxium servitiis scitissime producit Plautus, (r) in *servum* querulum digitum intendens his verbis:

Hic,

(q) Antiqu. Rom. L. I. in paralip. ad c. 16.

(r) In Amphitr. Act. 1. sc. 1., & Act. 4. sc. 2.

Hic, qui verna natus est, queritur.

It. Cum cruciatu tuo isthæc hodie verna (nota contemptum) verba funditas.

& Lucilius apud Nonium; verna acer cupit hæc.

Generatim ad *servorum* nomen quod attinet, aliquid largior, quia quam late istud apud Romanos patuerit, eruditissime docet Pignorius; (r) siquidem etiam ad medicos, chirurgos, præceptores, scribas, aliosque honoratioris conditionis homines *servorum* nomen pertinuisse, clarissima apud auctores extant vestigia: sciendum tamen est, hos supra omnes alios *servos* fuisse æstimatos, & abjectiorum numero quasi exemptos. Ita quoque *clientes* non temere ac proprie *servos* dici posse, his nisi rationibus contendo. Primo enim *clientes* passim in libris Digestorum & Codicis Justiniani *liberi homines* dicuntur. *Libero* vero *homini* opponit *servum* Ulpianus, liberumque esse dicit eum, in quo nulla corporis æstimatio fieri potest. Antiquissima enim est ista distinctio: Omnes homines aut esse *liberos*, aut *servos*. Constat etiam, *servos* vel natos fuisse, si scilicet ex ancillis nascerentur; vel factos, idque aut jure gentium, ex captivitate, aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est. Nil vero horum locum habet in *clientibus*, utpote qui patronum sibi eligebant ipsi, quem vellent. Deinde tantum abest, ut *clientum officii* aliquid servilis insit, ut potius quandoque ipsorum patrum atque dominorum, ut ita dicam, vices sustinere viderentur, cum scilicet ex institutione Romuli patronos suos, in elocandis filiabus, si eis parum esset pecuniæ, adjuvare, & si vel ipsi patroni, vel eorum filii capti essent, pretio redimere debuerunt, (r) & quæ erant alia eorum erga patronos officia, sane honestif-

B 2

(r) In Comment. de Servis p. 40. & 122.

(r) Dionys. Antiqu. R. L. II.

nestissima: si vero etiam interdum viliora subirent; ea non tam ex debito erant aestimanda, quam potius ex reverentia, ac benevolentiae captandae studio. Quo & Seneca (u) spectare videtur, cum atrii *clientibus* repleti mentionem injicit, quod scilicet *clientes* Romae patronos mane salutare consueverunt. Ex eo manabat singularis patronorum erga *clientes* gratia, eorumque cura, nulli unquam *servorum* expectanda. Nam, ut verbo dicam, patronos pro *clientibus* oportebat facere, quicquid pro filiis solent parentes. Denique & hoc *clientibus* praesertim haud parum tribuit excellentiae, quod, proximi a pupillis habiti, etiam cognatis affinibusque praeferebantur. (x) *Servorum* itaque nomen non nisi in sensu ampliori imponi posse *clientibus*, quis est, qui non videat? Sed ad reliqua nomina progrediamur.

FAMILIA-
RES.

Familiares etiam dictos fuisse *clientes*, evidentissimum apud Ciceronem (y) locus est, ubi uni Manlio Glaucae, libertino, & *clientis* & *familiaris* nomen inditum legimus, cujus quidem denominationis duplex existit ratio: Primo *familiaris* dicitur, qui pertinet ad *familiam*, vel quasi *famuliam*, quod significat *servorum* coetum in una domo. Certo autem respectu, ut supra diximus, *clientum* conditio ad *famulitium* accedebat, multumque faciebat ad augendam domini vel patroni *familiam*: hinc maxima laus erat nobilium habere *clientes* quam plurimos. Deinde *familiaris* est, cum quo intimiorem habemus consuetudinem, qualis inter *clientem* & *patronum* non poterat non intercedere. Vtrique enim sacerrimo fidei vinculo mutuisque inter se officiis adeo constringebantur, ut, si utra pars quovis modo fraudem intenderet, crimen capitale haberetur. Haec itaque fides efficiebat, ut ne quicquam

(u) De brev. vitae c. 14.

(x) Gellius N. A. L. V. c. 13.

(y) Pro Sex. Roscio Amerino.

quam patronos suos celarent *clientes*, quippe quorum consilio atque ope uti, eisque caput ac fortunas credere consueverunt, Nec etiam *patroni* semper rerum suarum *clientes* ignaros esse passi sunt, maxime ubi, necessitate vel inopia pressi, eorum opus esse ministerio intellexerunt. Huc revocamus ea, quæ ex Dionysio supra allegavimus, *clientum* officia, patronis in rebus arctis apprimè commoda, *familiaritatisque* haud obscura indicia. Cujus rei exemplum illustre in Orgetorige deprehendimus, præsidio *familie* suæ, ad hominum millia decem, undique coactæ, & omnium *clientum* obæeratorumque suorum e manibus iudicum, ne causam diceret, feliciter elapso. (z)

Ejusmodi patronis præstita in angustiis auxilia quibusdam DEXTRÆ antiquitatum scrutatoribus ansam præbuisse videntur, quod *clientes* etiam *patronorum dextras*, scilicet ob agilitatem in ferendo auxilio, appellatos fuisse existimarent, quæ quidem allusio inepta non foret, si modo satis firma auctorum. niteretur probatione. Alias usu suo non destituitur elegantissima hæc metaphora, eoque potissimum duplici, partim ad proximitatem, partim ad potentiam relato. Ipse enim sanctissimus salutis nostræ assertor, (aa) ne *dextra*, i. e. a propinquis & amicis nostris, nos irritari sinamus, diligentissime monet. Deinde docet historia patria, quod AVGVSTVS, Elector, gloriosissimæ memoriæ, ob singularem in magnis rebus gerendis industriam, & consilii animique præsentiam *Imperii Cor, Oculus* atque *Manus* scil. *dextra* dictus fuerit. Hoc vero in præsentiquæstionis est, utrum istud unquam nomen *clientibus* tam familiare fuerit, ut *patronorum dextræ* vere dicerentur. Nam cum id nobis sit negotii, ut synonyma magis, quam nudas allusiones persequamur, hoc paulo accuratius sub examen

B 3

(z) Vid. Cæf. I. B. G. c. 4

(aa) Matth. V. 30.

revocandum esse duximus. Id igitur, quod quærimus, an probent loca vel Statii L. V. sylv. 1.

- - Vidi omni te pridem in flore nitentem,

Vidi alta propius propiusque accedere dextræ,
vel Martialis Lib. XI. epigr. 70.

Lydia dicebar domino fidissima dextra,

a Rosino allegata, adhuc ambigo. Aliud enim est *dextræ accedere*, quibus verbis gradum amicitiae indicare voluit Stautius; aliud *dextra appellari*. Locus vero Martialis ad *clientum* conditionem, ut Rosinus putat, alludentis mere figuratus est, nempe Lydiae, canis venatici, istuque spumantis apri peremti de se ipso encomium: quæ quidem allusio locum habet etiam absque omni ad *clientes* respectu. Nec hic deferendum esse censeo canonem istum satis tritum: Quod fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. Quid vero opus est, metaphoram prius referre ad aliam metaphoram, ubi ad ipsum statim fontem possumus recurrere. Interim si quid habet fundamenti hoc synonymum, illud magis in opposito, quam in his locis quærendum esse iudico. Et ita non adeo dubitandum est, *clientes*, quorum fides erga patronos sanctissime servabatur, forte *dextras* appellatos fuisse, quoniam servi fures, rapaces, aut parum dominis suis fidi *sinistra* dicebantur. Cujus assertionis exempla, cum plura citato loco Rosinus collegit, iis exscribendis facile superfedemus, ad reliqua potius synonyma progressuri.

COMITES.

Comites etiam dicebantur *clientes*, & id quidem respectu officii sui, quia patronos honoris causa sequebantur, vel *comitabantur*, & in forum euntes, & domum revertentes, quo respexisse videtur Juvenalis (bb) acri calamo perstringens eos, qui multo tantum *clientum comitatu* fulgentes, cæterum studia haberent vilia. Ita & *calamitatis comites* erant *clientes*, quia nec in extrema for-

(bb) Sat. 7. v. 142.

fortuna deferere patronos licuit. (cc) Atque ex his patet, quo potissimum nomine *clientes* dicti fuerint *comites*, quod ideo observandum est, quoniam hic titulus admodum late se diffundit: id vero si hic exponere vellemus, longe amplior nobis decurrendus esset campus, quam instituti nostri permittit ratio. Hoc unum igitur addidisse sufficiat, quod infra *clientes* hujus vocabuli usus non descendat: qua de causa *servos comitum* nomine, tanquam honestiore, exclusos fuisse, clare docet Suetonius in Cæsare cap. 4.

Aliud proponimus *clientis* synonymum, quod est *assecla*, vi vocis idem cum *comite*, usum tamen si respiciamus, non ejusdem valoris. Cum itaque pro *comite* usus est hac voce Nepos, (dd) de Attico perhibens, illum arbitratum esse, non decere se, cum præturam gerere noluisset, *asseclam* esse prætoris, ubi pro consueta loquendi ratione *comitem*, vel *legatum*, (quod in eodem sermonis articulo adhibuerat Nepos,) dicere debuisset; hujus variatæ vocis rationem haud obscuram offendimus, contemptum ejusmodi infra dignitatem sibi oblato muneris. Rectissime itaque Loccenius ex adagio: *Ne ab equis ad asinos*, hunc locum illustravit. Sic etiam apud Ciceronem (ee) legimus, Philodamum, spectatissimum Lampaci civem, Rubrium, quem tamen Verris tum temporis in Asia legati *comitem*, eique charissimum sciebat, *asseclam* appellasse, scilicet per contemptum, quia hominem contra jus atque dignitatem, qua pollebat, hospitio excipere cogebatur. Et si vero in his locis magis in contemptum vergit nomen *assecla*, in quam quoque sententiam ire videtur Rosinus, vetus glossarium, & Jac. Cujacium secutus: tamen etiam absque contemptu *clientes* tales dici potuisse, ex ipsa vocis origine ego quidem contenderem.

(cc) Vid. Crf. VII. B. G. c. 40.

(dd) In Attico cap. 6.

(ee) In Verrina I. c. 25.

derem. *Assecta* enim mihi est vocabulum medium, notatque ex interpretatione Ant. Schori (*ff*) talem, qui aliquem sequitur petendæ & obtinendæ rei alicujus gratia. Si qui autem sunt, qui in *assectando* modum non servant, istos ego non curo, habeant contemptum sibi. Placet itaque Oldendorpius verbum *assectari* a quo *assecta* est, ita explicans: *Assectari* est comitatum præstare, non tantum foris, sed & domi per urbem, quasi aliquem præeuntem sectari, vel officii, vel amicitiae, vel alicujus commodi gratia, ut puer herum, filius patrem, *cliens patronum*, amator puellam. (*gg*) Et Plinius substantivo usus dixit: *Assectator sapientia* L. 8. Ep. 17. it. *eloquentia alicujus* L. 29. Ep. 1. & Gellius in bono sensu: *Auditor assectatorque Protagora* l. 5. c. 10.

LITIGA-
TORES.

Pergimus vero & in forum producimus *clientem*, ubi *litigatoris* nomen fortitur, nomen non officii, vel a substantia dependens, sed a causa accidentali. Hic ut usum vocis attendamus, necesse est. Verbo rem expediam. *Litigator* non est, quem *litigiosum* dicimus, germ. ein Zäncker, licet *temere litigans* talis fiat sua culpa; sed nobis *litigator* est, qui litem habet coram legitimo iudice, & patronum adhibet. Hinc Schardio in Lex. Jurid. verbum *litigare* idem est, ac *litem agere*, quæ Quintiliani est locutio l. 6, c. 1. Ad omnem vero litem duæ minimum requiruntur partes: vel sit causa civilis, ubi est actor & reus; vel criminalis, ubi accusator, qui rem denuntiat, & accusatus, in qua tamen postrema causa, si iudex ex officio in delictum inquirat, & hoc modo litem quasi constituit, iudex ipse accusatoris vices sustinere videtur, quamvis ob auctoritatem talis dici non solet. Hæc propterea monuimus, ut eo evidentius appareat, ad quem

liti-

(*ff*) In Thef. Ciceroniano ad vocem *assecta*.

(*gg*) Vid. Schardii Lexicon Jurid. in voce *assectari*

litigatoris nomen, quod nobis hic cum *cliense* idem est, pertinet. Ad distinctionem itaque modo suppeditatam recurrimus. In causa civili utraque pars, tam actor, quam reus adhibet patronum; utraque igitur pars *litigantium* est *cliens* sui patroni. Ad pleniorum hujus rei explicationem ex antiquissimis temporibus facit locus apud Plautum, Menæchm. Act. 4. sc. 2. *Cientes sibi omnes volunt esse multos* &c. quem totum, ne forte injuriosus videar in causarum patronos, nolo exscribere. In causa vero criminali, ubi accurrate loquendo non duo adsunt *litigatores*, sed unus modo, scilicet accusatus, & ex altera parte iudex non *litigans*, sed interrogans, inquirens, vel animadvertens, non nisi unum esse patronum s. defensorem, unumque *clientem*, scilicet accusatum, statim intelligitur. Hinc Quintilianus (*bb*) rem ita eloquitur: Patronus proprie est, qui agit causam, sed accusati, non accusantis. Cum accusatori satis sit plerumque verum esse id, quod objecerit, patronus neget, defendat, transferat, &c.

Fôri strepitus reliquentes domum revertimur, ubi *clientes* HOSPITES inter se *hospites* salutatos esse audiemus. Nostra si magis in iuribus explicandis, quam vocibus, occuparetur disquisitio, largissima de jure *hospitalitatis* hic dicendi materia se offerret. At vero, cum non facile quemquam in hac antiquitatis parte adeo hospitem esse credamus, quin sciat, celebratissimum hoc amicitiae foedus tesseri dimidiatis, interque *hospites* mutuo acceptis fuisse contractum ac religiose servatum; hæc missa facimus, id potius, quod ad instituti rationem propius accedere videtur, tractaturi: utrum scilicet *clientes* & *hospites* vere unum idemque fuerint, an vero inter illos aliqua observetur differentia? Id jam diximus, nomen *clientis* referri ad patronum, *hospitem* vero denominati-

C

(*bb*) Instit. Orat. L. 5. c. 13.

nationem inter ipsos obtinuisse *clientes*, quo quidem modo uni subiecto utrumque nomen inhæret. Dubitandi tamen rationem suppeditant Gellius & Masurius, diversum ordinis gradum *clientibus* & *hospitibus* tribuentes, hac etiam differentia, ut alter potiorum locum *clientibus*, alter *hospitibus* vindicet. (ii) Hoc vero dubium facile resolvi posse censemus, si modo observetur, *hospitibus* nomen latius patere, quam *clientis*. Omnes enim *clientes* inter se erant *hospites*: non omnes *hospites* *clientes*. Nam *hospitia* non privati modo, sed reges, viri principes, & civitates solebant conjugere, vel parandæ potentiæ, vel stabiliendæ causa. Hic omnino differt a *cliente hospes*, quoniam neuter alterum habet dominum, vel patronum, sed uterque pares sunt: ubi vero multi inter se *hospites* alium quem agnoscunt patronum, tum sunt *hospites* inter se, qui *clientes* sunt respectu patroni. Rem definiendam Ciceroni committemus, sic vero ille in Divinatione circa finem: Clarissimi viri nostræ civitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab *hospitibus*, *clientibusque* suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionemque venissent, injurias propulsare, eorumque fortunas defendere. Quod si quis velit objicere, Ciceronem hic æque ac Gellium cit. loc. diversas forte hominum classes indicasse, perlegat, si placet, totam istam in Cæcilium orationem, sane elegantissimam, & videbit, Ciceronem id solum egisse, ut demonstraret, patrocinium *clientum* causa susceptum semper justissimum fuisse habitum, & se propterea omnino in negotio Siculorum *clientum*

suo-

(ii) Vtriusque sententiam vid. ap. Gell. l. 5. 4. 13.

fuorum, (kk) à Verre, quondam apud illos prætor, nec non & a Cæcilio quæstore, gravissime violatorum defenforem calamitatum eorum, ultorem injuriarum, cognitorem juris, actoremque causæ totius esse constituendum; eamque postulationem esse justissimam in allegatis verbis exemplo majorum confirmat.

Sequiori denique ævo *susceptos* etiam dictos fuisse *clientes*, SVSCH. PTI. Servius auctor est, de qua voce, cum significatus ejus statim se prodat, non est, quod multis agam. Non possum tamen, quin commendem Symmachi L. V. Epist. 41. ubi tum patroni, Episteti scilicet causidici, tum *suscepti* cujusdam sive *clientis* clarissima fit mentio. Quid vero, & quomodo in fraudem publicorum tributorum *suscepti* deliquerint, quare etiam lege Imperatoriæ cautum est, (ll) ne fiat talis *susceptio*, me non tangunt, quoniam ista ad juris tractationem pertinent.

Restant itaque synonyma *clientis* recentissima, hodieque in FIDELIS Jure Feudali obvia, scilicet *fidelis*, & quod idem est, *Vasallus*.^{c. VASALLI.} *Vassus* enim s. *Vasallus* Longobardice *fidelis homo* dicitur, vel *homo fidei*, qui feudum tenet, ut Schardius habet ex Cujacii observ. lib. 8. cap. 14. Hos autem re ipsa non differre a *clientibus* antiquissimorum etiam temporum, utriusque jura, tum domini, tum *Vasalli* s. *fidelis* satis superque docent, etiamsi quædam hoc

C 2

tem-

(kk) De tenerimo Ciceronis erga Siculos affectu conf. Lib. 14. Ep. 12. ad Atticum: Scis, inquit ibi, quam diligam Siculos, & quam illam *clientelam honestam* judicem.

(ll) L. 2. C. ne rustici ad ullum obsequium devocentur.

tempore desiderantur officia, maxime ex parte *clientum*. Nam quis est hodie patronus, vel dominus, qui e. g. sumtus ad elo-
candas filias a *vasallis* s. *fidelibus* expectet, vel quovis titulo pos-
sit exigere, cum ne latum unguem jura sua debilitari, vel officia,
suis quasi limitibus circumscripta, augeri patiantur *vasalli*. Ta-
lia quidem prisca jam temporibus exolevisse, salvo tamen omni
jure reliquo patronorum, testatur Plutarchus in Romulo, quoni-
am turpe sordidumque habitum est, potio-rem ab inferiore pecu-
niam accipere. Excipio dominum territorialem, qui unus pro
suo, quod habet, eminentiori dominio tributa imperare, impera-
ta augere, si res ita postulet, omnino potest. Sed hic de solis
dominis feudorum, eorumque *vasallis* nobis sermo est, inter
quos, inquam, licet aliqua successu temporis immutata deprehen-
damus, potiora tamen jura atque officia adhuc obtinent, quæ
sunt ex parte dominorum tutela atque præsidium, ut et justitiæ
administratio; ex parte *vasallorum*, quos & *subditos* dicere con-
suevimus, obsequium & fidelitas.

Hoc tamen discriminis non tacendum esse censeo, quod, ut
hodie in Jure Feudali pars inferior magis *vasallorum*, s. *fideli-um* &
subditorum, quam *clientum* nomine venit; ita & superiores non
tam *patroni*, quam *domini* dicantur. Quantum vero intersit inter
patronum & *dominum*, tum ex usu harum vocum antiquissimo in-
telligitur, tum etiam ex verbis clarissimis L. 15. C. de testa-
ment. manumis. ita conceptis: *Quem patronum habere nolue-
rint, dominum suum, & forsitan acerbum sentiant.* At vero, ut
verba, sicut nummos, valere novimus, ita hoc obstare non existi-
mo,

mo, quin eandem inter *vasallum* & *dominum*, ac olim inter *patronum* & *clientem* conditionem affirmemus, maxime, cum rigori vocis *domini* haud parum decessisse credamus, ubi nullus *mancipiorum* usus est.

Hæc itaque sunt, DOMINE ac PATRONE, maximopere *colende*, quæ obstrictissimus *cliens*, sui probe memor officii, de *clientibus* exponere ausus est, turpe existimans, si se a rusticanis, vel ullo quodam alio *clientum* TVORVM, hoc die solenni, obsequii atque observantiæ demonstratione vinci pateretur. Si vero alicubi in tractatione materiæ, extra fere limites studii mei positæ, me lapsum deprehenderis, confido fore, ut TV, VIR CONSVLTISSIME, hoc, quicquid est opellæ, non ad acrimoniam iudicii TVI exigas, sed ingenii mei tenuitate metiaris, meque pro cognitione TVA in omni jure profundissima, vel per otium, si tale injuncti TIBI labores concedunt, meliora edoceas.

Cæterum hanc TIBI *clientelam*, ex parte domini territorialis, *Serenissimi* REGIS nostri, in feudum clementissime TIBI datam, ex parte subditorum solenni homagio agnitam, confirmatamque officiosissime gratulor, eaque ut ad *Filios* TVOS, ferrosque deveniat nepotes ex animo precor.

Et quod omnium erat primum, ipse Deus Opt. Max. Omnipotens Dominus, *Pater* atque *Patronus* omnium bonorum, TE, TVOSque in *clientelam* suam suscipiat. Ipse summus rerum arbiter confirmet atque amplificet TIBI summam *Augustissimi* nostri AVGVSTI gratiam, Cujus hac ipsa *clientela* vasallus,

TVORVMque dominus factus es. Conservet Deus **CON-**
JVREM TVAM lectissimam castissimamque, & præstet **EAM**
 salvam atque incolumem, ut hac **SVÆ** hereditatis parte quam
 diutissime, animoque potissimum tranquillo perfruatur. **FI-**
LIOS vero **TVOS**, ne spem de **ILLIS** conceptam unquam
 fallant, benignissimus Deus, ut paternorum bonorum, ita inprimis
 paternarum virtutum, & pietatis utriusque Parentis heredes esse
 sinat, quod bonum est amplissimis opibus longe præstantius.
 Quod denique ad subditos **TVOS** attinet universos, faxit Deus,
 ut sui hodie dicti sacramenti semper memores fidelitate atque
 obsequio **TVAM** demereantur gratiam. Ita enim futurum
 est, ut **TE Patrem** atque *Patronum* magis, quam *Dominum*, sen-
 tiant. Postremo **TVVM** Patrocinium, vel verius, ut ego ad-
 huc sensi, paternum affectum in me ulterius proroges, ea,
 qua decet *clientem*, modestia contendo.



N.
M
am
Fl-
am
nis
ffe
us,
us,
ue
nm
en-
d-




QK T/c 1291

X 337 2071


m.c.



100 129 14^a

B. M. 
B. m.

II C
1291



VOCIS
CLIENTIS
Disquifitio
CO-SYNONYMICO-CRITICA,
qua pramiffa
V I R O
LISSIMO, CONSULTISSIMO
VE EXCELLENTISSIMO,
PAVLOCHRISTIANO
ROETERO,

Acto,
MI REGIS POLONIARVM ET
ECTORIS SAXONIÆ
ONVM JVDICIO ET SENATV ECCLESIASTICO
IO, VT ET IN VRBE REGIA SYNDICO,
CE MVNERIBVS INSIGNITER MERENTI,
O SVO MAXIME SVSPICIENDO
LAM HEREDITARIAM

die, scil. XIV Sept. cl. lxxc. xxxix.
quo
RIS OBSEQVII SACRAMENTVM
universi, qui
LDENHAYNAM, BROCKEWIZIVM, KRAVSCHVZIVM,
vremque KLEIN - THIEMIGII
incolunt,
seleanni ritu dicebant,
gratulatus observantiam suam testatur
addictissimus cliens
GRENZIVS, Rochl. Rev. Min. Cand.
E, Literis JOAN. GVILIEL. HARPETERI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONIUCKAVIANA